



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Francisci Arias, Societatis Iesv Theologi, Tractatus Tres spirituales

Arias, Francisco

Coloniae, 1615

9. De medijs, quibus vinci potest difficultas, quæ est in exercitio
mortificationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48767](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48767)

autem voluptatem ceperint ex collationibus rerum diuinarum, quod aliorum prosperis successibus. ex animo gratulati fuerint, aduersis verò compassi, omnemque operam locarint in remouendis, vel certè mitigandis afflictorum ærumnis, quod libenter obsecuti fuerint maioribus, omnium pedibus se subiecerint, & ab omnibus hominibus contemni, & ludibrio haberi, salua Dei gloria, optarint. Hi mores, hæc exempla communia & ordinaria omnium Sanctorum fuere: quæ si imitari conabimur, non dubium, quin imitaturi simus Christum illorum omnium magistrum, ducem, & antesignanum, participesque vna cum ipso Christo red-demur gloriæ, qua illi iam securissimè, & in omnem æternitatem perfruuntur.

CAPVT XI.

*De nonnullis medijs, quibus vinci potest
difficultas, quæ est in exercitio
mortificationis.*

Mortificationis exercitiū nulla ferè alia re impeditur, quam difficultate, & afflictione, quæ ipsa mortificatio secum affert. Nam, cum virtus ipsa spinis difficultatum

rum

tum circumsepta sit, sedemq; suam in loco sublimi collocarit, ad quam nisi multo labore & sudore perueniri possit; mortificationis verò muneri incubat, laborem, & quicquid aduersum est, deuorare, & quasi onus omnis difficultatis ad capessendū virtutis culmē suis humeris perferre, idcirco in ipsa mortificatione magna est difficultas, & afflictio. Primò liquidum & certum est, hominem ritè mortificatum in actionib. virtutum nullum experiri laborem vel difficultatem, imò potius promptitudinem & suauitatem. Itaq; difficultatem, de qua loquimur, tantum sentiunt, qui primum aggrediuntur hoc exercitium, donec diuina gratia adiuti, omnes naturæ malè inclinatæ repugnantias vicerint. Pro ea autem superanda media aliquot hic subiiciemus. Primum est, magna animi submissione, & imbecillitatis confessione postulare in orationibus à Deo, voluntatem efficacem, viresq; se mortificandi, atque hæc petitio semper inter primarias repetatur. Quāuis verò homo imbecillem agnoscere se debeat in omni virtutum studio, maximè tamē debet in exercitatione mortificationis, eò quod ob insitam naturæ corruptelā à nulla re magis abhorreat, quam

MORTIF. DISCRET. 58

quàm quæ infligit aliquã pœnam. Pro magno quoq; beneficio & agnoscere & æstimare debet, quod sibi tam infirmo, & ad mala procliui voluntas animusq; cõcessus sit exercitium mortificationis tam vtile & pretiosum complectendi: ac proinde quoties desiderium mortificandi aliqua in re Deus menti iniecerit, continuò cum gratiarum actione opus ipsum aggredi, vt dona sua semper cumulet maioribus.

Aliud mediũ ad mortificationis studium prosequendum, & ad obtinendas à Deo vires, est, iniriũ facere à minoribus & facilioribus, cuiusmodi sunt, oculos claudere ad res aspectu iucundas, linguam continere à proprijs laudibus, de consueto potu cibouẽ modicum detrudere, nonnihil æstus vel frigoris vltro tolerare, aliãq; similia, quæ colligi possunt ex ijs, quæ diximus de mortificatione propriæ voluntatis, passionum & sensuum. Mouere autem plurimum nos debet ad hoc studium non contemnendum, quod, vt superius ostendim⁹, mortificatio etiam in rebus paruis Deo sit gratissima. Deinde, quod omnis mortificatio propter Deum facta, licet exigua sit, iusto meritoria, tantoq; maioris meriti, quo promptiori voluntate, & a-

*Chrys. quod
virtus à mi-
nimis incho-
anda.*

In 1 p. 6. 4o

& a-

& alacriori facit, ita vt nonnunquam longè excedat mortificationem durissimam. Nam meriti essentialis magnitudo, cuius merces consistit in visione Dei, non operis magnitudini, & difficultati, sed actuali caritati, bonæq; voluntatis promptitudini, ac sincero desiderio Deo placendi, respōdet. Magnitudini verò operis, & difficultati, vt tradit S. Thomas, respondet præmium accidentale, quod consistit, non in Dei visione, sed in gaudio quodam, quod omnes beati in cœlo ex omnium creaturarum, bonorumq; operum, quæ ipsi alijq; iusti aliquando fecerunt, cōtemplatione hauriunt. Verum quidem est, ipsam operis magnitudinem & difficultatem argumento esse, illum qui id præstat, ampliore amore actuali, desiderioque Deo placendi præstare, & consequenter promereri augustius præmiū essentialē: conatus siquidem tentandi magis ardua, promptioris quoque voluntatis solet esse indicium. Attamen diffitendum non est, sæpè tanta promptitudine, alacritate, & ardore animi minores mortificationes, aliaq; externa opera leuiora subiri, vt longè superent meritum difficiliorū, duriorumq; operum: & verò tum certissimè id fit, quando.

quando à seruo Dei illa minuta exercitia eo animo suscipiuntur, vt si occasio daretur, aut vires suppeterēt, aut facultatem à superioribus, quibus parere cogitur, obtineret, reuera etiam aggrediretur grauiora.

Vbi verò initium factum fuerit à paruis mortificationibus, Deus sua gratia continuò præsto erit, vt & voluntatem accendat, & vires suppeditet, atque occasiones offerat, maiora tentandi, vt benè docet Venerabilis Richardus Victorinus. Ac sanè dignum & iustum est, vt quoniam illud daemone institutum est, iustos antè in rebus leuibus, & paruis inducere ad lapsum, quo iam nutantes & debilitatos postea in grauiorem ruinam impellat; sic cōtrà nos omnem laborem impendamus in mortificandis, vincendisq; nobismetipsis in rebus minoribus, vt aditū præcludamus daemone, ne nos vincat in maioribus. Deusq; vberem gratiā largietur ad difficiliora etiam mortificationum genera suscipienda. Quare Cassianus agens de perturbationibus animi leuioribus, quibus nonnunquam monachi solitarij afficiuntur, vt dum succensent calamo, si litteras non exprimat, cultello, si malè fecet, alijsque rebus creatis, si ad votum

non seruiant, admonet eos, valde conueniens esse huiusmodi inordinatos motus, licet sint de rebus leuib. refrænare & compescere: eo quod hoc usu & consuetudine obtinetur, vt dum grauiores occasiones iræ aliarumue passionum, velut dum iniuria vel contumelia ab alijs afficimur, sese offerunt, facile nos colligamus, & mortificandi nostri causa, diuina gratia opitulante, grauiora æquo animo, & corde tranquillo perpetiamur.

CAPVT X.

De alijs medijs, quibus difficultas mortificationis vinci queat.

INter media, quæ ad amplectendum mortificationis studium permouere possunt, principem locum meritò sibi vendicat consideratio mysteriorũ vitæ & passionis Domini nostri Iesu Christi: in ijs siquidem tanquam in speculo se prodit ineffabilis volũtas & caritas, qua filius Dei se æterno Patri ad cruciatus & contumelias pro salute nostra perferendas obtulit: Apud Romanos, teste Valerio Maximo, mos receptus fuit, res præclare ab Imperatorib. alijsq; belli ducibus gestas mādare verbis, & cantare, vt adolentes ad eas imi-

Lib. 3. c. 1.